



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Praxis. Opera ordinaria bene peragendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

I. P R A X I S.

Opera ordinaria bene peragendi.

IN omni opere attende, & observa potissimum hæc tria: objectum, finem, modum: quæ si bona fuerint, ages bene, quidquid agis.

I. Allabora, ut objectum, materia, seu res, quas agis semper bonæ sint, ac Deo placeant: nam ut docet S. Ambrosius: Qui ad officium Ecclesiæ vocamur, talia debemus agere, quæ placent Deo. l. 1. off. c. 37. Idque exemplo Christi Domini, dicentis Joan. 8. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.*

II. In omni opere respice finem, & stude, ut singula, præmissâ intentione bonâ perficias: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* monet Apostolus 1. Cor. 10. Finis autem triplex est, alter altero perfectior: nam operari ex metu pœnæ evadendæ, servorum est: ex spe præmii, mercenariorum: ex amore, ut placeas Deo, Filiorum. Ad hoc postremum itaque semper collima: ut enim docet S. Chrysost. l. de compunct: *Si omnino dignus fueris aliquid*

aliquid agere, quod Deo placeat, & aliam
adhuc, præter hoc ipsum, quod placere me-
ruisti, mercedem requiris, verè ignoras,
quantum bonum sit placere Deo.

III. Conare quoque ut modus ope-
randi bonus sit: rectè enim ait S. Cypria-
nus de singul. Cleric. *Sanctum non est,*
quod agitur sanctum, nisi sancte, quod san-
ctum est peragatur. I. igitur semper sis in
gratiâ Dei & charitate supernaturali præ-
ditus, aliàs opera tua merito vitæ æternæ
carent. II. Attende ne operi admisceas
peccatum, meritum & valorem ejus de-
struens, aut imminuens. III. Observa om-
nes circumstantias requisitas, Personæ, lo-
ci, temporis &c. Bonum enim causatur
ex integra causa, malum autem ex quoli-
bet defectu, utcum Theologis docet S.
Dionys. de Div. nom. c. 4. IV. Operare, præ-
missâ quadam & corde tranquillo suscep-
tâ deliberatione, ac maturo judicio: ut
suadet S. Bernardus l. 3. de Consid. c. 4.
Spiritualis homo, omne suum opus trinâ
consideratione præveniat: primò an liceat,
deinde an deceat; postremò an expediat:
nam etsi constet in christiana antiquæ Philo-
sophiæ,

sophia, non decere nisi quod licet; non expedire nisi quod decet & licet, non continuo tamen, omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Hæc igitur Prudentiæ virtus decernat oportet, dictetque quid agendum, omittendumve sit: & ne erretur. V. Prælatorum ac Superiorum quoque voluntatem & approbationem require: hi enim dati sunt, tanquam divinæ voluntatis interpretes, quos sequendo non aberrabis innuente Scripturâ: Qui vos audit, me audit. Lucæ 10.

IV. Practicè autem loquendo, bene opera tua perages. 1. Si singula opera externa ita institues, quomodò spectante, vel certò superventuro Superiore, quem times, vel cui placere quæris, eadem perageres. 2. Si feceris eo modo, quo fieri velles à curæ tuæ commisso, præsertim si is modum, hoc opus bene peragendi, à te requireret. 3. Si tam exactè facies ea, quæ debes, pro Deo; quemadmodum mundani pro mundo, præsertim opifices sua elaborant. 4. Si opera interna ita perages, ut perageres, si iis finitis, certò te scires moriturum. *In omnibus cogitationibus,*

nibus, locutionibus, sive actibus tuis, dic tibi: Itane ageres, si hanc scires pro certo novissimam vitam tuam horam? S. Bernard. in form. hon. vit.

II. P R A X I S.

Opera sua perfectè seu modo perfectissimo exercendi.

Sacerdoti in stadio ac studio perfectionis plusculum progresso excellentior paulatim quasi per passus & gradus via intranda est, & charismata meliora æmulanda sunt; ut indies ad perfectiora & perfectiora indefinentur aspiret, donec apicem perfectionis ac sanctitatis conscendat; illos imitans, de quibus scribit S. Gregorius Nazian. orat. 1. in Jul. Qui nullum ascensûs & Deificationis modum seu terminum agnoscebant.

§. I. *Motiva perfectè operandi sæpe expendenda.*

I. Voluntas Dei per Apostolum promulgata: *Hac est voluntas Dei sanctificatio vestra.* 1. Thess. 4. Ipse Deus Deut. 18. voluntatem suam declarat: *Sancti estote,*
quo: